

V K
2852



27.

E

M

D

L

2

Not



h. 116, 2.

LUCTVS PASTORALIS

Super deplorando quidem præmaturo, sed pio
tamen & placido OBITV,

ILLVSTRIS ET GENEROSIS-
SIMI DOMINI,

DN. AVGVSTI,
LIBERIBARONIS à SCHONBVRG, Dn.
in GLAVCHA & WALDENBURG, Hæreditarij
in GRAISLAS, &c.

*Qui, cum decennium minus anno dimidio rerum gubernacula RE &
Nomine Augustus tenuisset, ex hac arumosa vita in alteram verè beatam verà Christi
cum agnitione tum invocatione, anno ætatis 28. instante 3. Octob. paulum
ante horam 2. matut. migravit, ac tandem illustribus exequijs
terra demandatus est 6. Novemb.*

In anno Christi sVI ReDeMtorIs.



Transitus celer est & ayolamus.



BIBLIOTHECA
PONIENSIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GALE)

ALTENBURGI IN MISNIA,

Anno CIO IO CX.

II
V/k
2852

INSIGNIA
 ILLVSTRIVM AC GE-
 NEROSORVM BARONVM
 à SCHÖNBVRG, Dominorum in GLAV-
 CHA & WALDENBURG, &c.



Audibus exuperant INSIGNIA clara BARO-
 NVM
 A SCHONBURG, morier quos pia MV-
 SA verat.

Ecce duas ALAS Chlypeo dat CAESARIS ales,
 Quas inter Regi grata CORONA micat.
 Ornantur TRABIBVS binis sub Casside, quarum
 VNA colore albens, ALTERA tota rubens.
 Omen inest ALIS: VNA terraq; mariq;
 Sed RELIQUA aeternum nomen ad astra volat.
 Illustris celebri splendet virtute CORONA:
 Antea res gestas hinc Diadema refert.
 Vna TRABVM bellè sincera albedine candens
 Candoris voluit significare decus.
 ALTERA sanguineo CHRISTVM notat inde colore ?
 Pro Grege constanter pro quoq; Lege mori.
 Fac DEVS, vt volitent felici sidere PANNAE,
 Sic DIADEMA, TRABES immobile q; manent.

Andreas Richardus Past-in-Terr



Am fas est Epicedio sonare

AVGVSTI Schönburgici Baronis

Funus, scenus inesse cui putatur:

Nam fidens, benè habet, DEO super-

Hæres fit moriens poli bonorum,

(stes

Surgens angelicis chorisq, charus.

Ergò laudibus arduâ PROPAGO,

In SCHÖNBV RGI ADV M domo, decusq,

Virtutis lege fronte cum serena

PASTORVM monumenta subditorum,

Nec te pœniteat pias querelas

Amplecti studiumq, Mystagogum.

Sic nomen, domus ac, honosq, virtus

(Qua SCHONBV RGI ACI solent beari

HERCES) revirebit & manebit.

Acratus Subditus.

A 2

Melpo-

Melpomene, quæso, lugubres præcipe cantus:
 AVGVSTVS, Schönburgiaco de sanguine natus
 Occidit (heu!) fulcrum magnum & prænobile
 gentis,
 Et dulcem primo vitæ cum flore iuventæ
 Effudit, regnis casu sublatus avitis.
 Heu pietas! heu sancta fides! heu damna bonorum
 Flebilia! heu patriæ, jactura miserrima plebis!
 Heu spes fallaces hominum! fallacia vota!
 Ille perit, quo non fuerat præstantior alter,
 Usq; adeò populum sub Religione tueri,
 Tempestive inopum fessis succurrere rebus.
 Et cives patrio affectu defendere multos.
 Illustrem probitate virum, candore paterno
 Occubuisse Ducem, nec vescier amplius aurâ,
 Obstupuere animi, & casum miserantur acerbum
 Stemmatis antiqui, quæq; hinc ventura sagaci
 Mente putant, generisq; dolent tam tristia fata.
 Sed quid conquerimur moesti: Generose Dynasta,
 Hæ tibi mortis erant metæ, via magna peracta est,
 Omnes expectat mors, est commune periculum,
 Vicisti mortem tandemq; per ætheris aulam
 Semideos inter versaris amabilis Heros,
 Angelica cœli passim stipante cœterva.
 Quid querimur? vicisse, patet, TE tristia fata,
 AVGVSTVS aspectu frueris superûmve beato.
 Salve magne BARO: victa de morte triumphata.

In testimonium debitæ gratitudinis scripsit,

M. Jacobus Reising VValtenburgensis Pastor
 & Superintend.

II. Lessus

I I.
Lessus Schönburgicus.

AVGUSTVM Sydus, IovA extinguente Dynasten
Vna dies auffert, Patria terra, tuum.
Guttura singultu mecum, nunc lumina fletu
Vndoso, planctu pectora tunde pio.
Scilicet est ingens iusti tibi caussa doloris,
Te te namq; orbam hac mors inopina ferit.
Vt viridi gracilis plantata benè arbor in horto
Spem Domino fructus agricolisq; facit.
Brachiaq; expandens iam efformat frondibus umbram
Apta frui multis poma datura citò.
Rauca sed urentis si venti murmura sentit,
Omnis ab agnata stirpe recedit honos,
Dulcis abit succus, coma flucet, deperit esca
Omnino & fessis umbra petita deest:
Maxima sic tibi spes fuit, inclyta Glaucha repostae
Illustri in Domino hoc atq; Barone pio.
Nempe fore ut patula subiectis arboris instar
Vnram, Tutelam, Delitiumq; daret.
Sic factum ad tempus nimium breue, namq; Iuventa
Sic visum est Iovæ, flore cadente cadit.
Cuius erat digna in Pyllos augetier annos
Hæc Vita AVGVSTI est quam brevis atq; fugax.
Occidit haud Nimrod ferus, aut crudelis Ioram.
Nec furibundus Saul, indomitusue Nero.

A 3

Blandia

Blandus sed Patriæ Pater & Iosephus amandus
Vnica commoditas cui tua cura fuit.
Restat post tumulum laus hæc, expersq; sepulchri
Gloria, sincera & cum Pietate Fides.
Indultum lachrimis satis est, iustoq; dolori,
Concessus lætus debet habere modum.
Vsuram vita licet inclementia morbi
Sustulerit, corpus tradideritq; neci:
Inclyta mens anima ac exors & nescia mortis
Nunc tamen æternum regna beata colit.
Granda vosq; inter coelesti in luce, Dynastas,
Laudat Trinunum perpete Voce Deum.
Ad pia præstiterit mentes componere vota,
Vnà & suppliciter sollicitare Deum:
Clementi ex animo iacturam, ut sarciat istam,
Heroem Tibi mox restituendo pium:
AVGUSTI legat almi qui vestigia, talis
Vs sibi contingat patria chara precor.

Humilis supra Scias ergo

à M. ELIA DRESLERO Glauchensi
Pastore in Stunzheim F.

III.

Confitebor nomen eius coram patre meo, coram
Angelis eius, vers. 5. Apoc. 3. cap.

AVGUSTVS tenuit nomen, quo Cæsaris ordo
Se decorare solet.

Augusti

AUGUSTI hinc pietas, probitas post funera virtus,
Fama manebit item.

AUGUSTO placuisse Scholæ Templiq; Ministros
Vox pia testis erit.

AUGUSTVM fidos semper redamasse Clientes,
Quis modò vera negat?

O AUGUSTE tuam nimis, heu, citò deseris aulam
Nunc viduate inopi?

AUGUSTO, jubet heu, de nostro, Parca, BARONE
Fingere funebria.

Augusti valeant Manes capiantq; beati,
Gaudia perpetua.

Augustorum jam consortia læta **PARENTVM**
Te quoq; lætificent.

Augustisq; **DIIS** ex omni parte beatum
Te associasse iuvat.

Augusti O fratres **AUGUSTI**, infigite fratri
Oscula sancta pio.

Augustis **SUPERVM**, divine **AUGUSTE**, triumphis
Utere, Vive, Vale.

*Lothus Fischer Meranensis
Pastor patria.*

IV.

Flete cum flentibus v. 15.

Rom. 12. c.

Causa est atra dies gemendo *Mystes,*
Civis, Ruricolam quod atq; vulgus

In serm

Intrent mœnia Glauchiana tristes.
 Heu Muse Aonides, equestris aula,
 Flent; flet Curia, concioq; sacra.
 Fle, qui flere potes tuum BARONEM,
 Quem Clotho Iuvenilibus sub annis
 Nobis eripuit. Sed parce Paulum
 Effusis lachrumis referre vitam
 AVGVSTVS nè preces obivit inter
 Constanti fide & inuocationem?
 Augmentante Deo crucem, sacrarum
 Gnorum nonnè memor paratus, olim
 Queis Præceptor eam imbuit Dynastam?
 Verbis non opus est, ubi piarum
 Rerum solida testimonia adsunt.
 Credo hinc perpetua frui quiete.

Lucas Eberhardus pastor Myllensis
 ad D. Michaelem.

V.

προσωποποιία lugubris.

O Mors terribilis tacita pede siccine tecta
 Squalida non tantum pauperis ingrederis?
 Insuper in nitidam & sublimem illaberis aulam,
 Magnorum, & pariter viscera saepe petis?
 Sic tua terrestres rapit inclementia cunctos,
 Vlli non parcis, non iuueniq; seni.
 Abstulit AVGVSTVM Dominum Glauchæ generosum
 Nostro ex conspectu jam tua dira manus.

Sed

Sed noli de magnifico cantare triumpho,
Nam cadit in casses sordida præda tuos.
Invenies quàm sit miseræ tibi curta suppellex,
Arcum si tusa & spicula respicias.
Noſti, qui fregit, victorem, & sustulit ista,
Concuſſit validum robur & omne tuum.
Mors est ille tibi precioso sanguine factus,
Et meruit vitæ secla beata novæ.
I nunc, exuvias convelle & dente minaci
Funestas, quantum mystica fata sinunt.
Hic quàm verè nos cupido comprêdis hiatu,
Tam verè ex alvo corpora nostra dabis.
Tunc nostrum AVGVSTVM cœlo in spectabimus alto,
Tunc charam Sociam cum reliquisq; pijs.
Millia pectoribus tunc gaudia percipiemus
Nec non corporibus: sine carebit amor.

*Johannes Pansa M. Niderwie-
ra Pastor & lugens viduus.*

VI.

Tempus nostrum transitus umbræ

v. 5. Sap. 2. Cap.

*Transitus vita est celer, umbra, fumus,
Pulvis, ac aurâ levior simiq;
Instar & limi, preciosa quamvis*

Portio vitæ.

*Non datur nasci ter in orbe posse,
In brevi seclum spacio mutatur,
Unde vitæ, quasi cursitans hinc,*

Lampada tradit.

Sed Transit AVGVSTVS, celeri volatu

B

Flore

*Flore in etatis medio, caducum
Exuens Corpus, properans ad astra.*

Gratulor Ergo

*Petrus Venatorius Pastor
Schönbergensis.*

❖ V I I. ❖

Non obijt, verum coelesti **AUGUSTVS** in aula
Vivit ovans, fruitur colloquioq; **DEI**.

Autorem vitae, dum viveret, atq; salutis,
Quem coluit, victo dæmone, lætus habet.

Nec vitam posuit, sed tantum tædia vitae,
Mordaces curas, & mala mille foli.

O AUGUSTE chori coelestis pars nova salve;
Inq; **DEI** regno gaudia læta cape;

In quo delitiæ, requies, sunt gaudia, risus,
Et quoquo veris, nil nisi læta vides.

Exuvia quamvis gelidâ tellure tegantur,
Attamen haud animam mors tumulavit humo.

Corpus humo tectum **CHRISTO** revocante resurget,
Interea cineri pax sit, & alma quies.

Non tibi mors vitae finis, sed suave salutis
Principium, & coeli ianna grata fuit.

Nunc **AUGUSTE** vale, vitâ meliore superstes
Qui capis æternas glorificatus opes.

Est tua nota fides **CHRISTO**, virtus tua mundo;
Hæc mundo ut vivas fecit, ac illa **DEO**,

*Zacharias Reineccelius Pastor in Remsa
& Weinsdorff conscribat.*

IIX. Occi-

Occidit *AVGVSTVS*, quo non augustior alter,
 His equidem terris, nobiliorq; fuit;
 Nec melior: tituli, forma, etas, copia, fasces,
 Omnia cum domino procubuere suo,
 Unica nunc superat *PROBITAS*, hæc busta coronet
 Spargens *Idaliis* lilia cana rosis.
 Mollesq; inferis violas, hyacinthon, & omne,
 Quod citò marcentis *Flora* vigoris habet,
 Subsignetq; notis: *AVGVSTVS* nobile germen
SCHÖNBURGAE sed non floruit ille diu.
 In pleno et tatis succo contabuit, inde est,
 Cur spectes parvo lilia sculpta tapho,
 Lilia cum violis, sic inquam, candida, res est,
 Dux sine labe probus sed fuit ille brevis.
SALVE AVGVSTE, augusta tuas sic *Glaucha* loquetur
 Laudes, si taceat, charta loquetur eas:
AVGVSTE augusta sublimis in ætheris aula
SALVE, & perpetuum lux probitatis *HAVE*.
 Hæc ad busta: foris pietas ad sidera palmas
 Tendens, quid mihi nunc *Numina* fiet? ait.
 Pacatam volui *SCHÖNBURGAE* cernere partem,
 Subdita nunc turba est in gemitu et lacrimis
 Nil precor ulterius, quamuis extrema minentur
 Parcarum diris consociata manus.
 Attamen ô pater alme pios defende dynastas
 Quos *Schönburgica* vivere stirpe vides.

VIVANT; hoc solum est quod posco, cetera terris
Deteriora vides sed meliora velis.

M. Iohann Ehart
Cursdorffii.

IX.

ACROSTICHIS.

Avgustum Schönburgiaco de stemmate natum,
Vos, quibus est notus, plangite corde, sono:
Glaucopis luge, pax Relligioq; Themisq;,
Vester enim cultor, Fautor & auctor obit.
Subdita turba dole, quam Glaucus ab æquore vectus,
Tam largâ Muldæ fluminis auget ope.
Vos quoq; Graisliciæ colitis qui jugera terræ,
Solvite tristitiæ debita signa piæ.
Absit at immodicus luctus, qui gentibus extat:
Sic pius est luctus cum moderatus erit.
Castrum quod tenuit terris post fata reliquit,
Heroasq; inter mixtus in arce poli est.
Omnia nunc spernit, quæ mundus diligit amens,
Nam vitam in Christo Principe dives habet.
Bis sex lustra suæ nondum egerat optima vitæ,
Ut fera mors avidas injicit ausa manus.
Restat at in cœlo melior status, atq; perennis
Gloria, quæ cunctis est reparata piis.
Bella timenda illi non sunt: sed gaudia cœli
Ampla manent: omnis cura laborq; jacent.
Rebus & exutus nunc omnibus ille caducis,
Ocia perpetuæ sancta quietis agit.

Chrono-

Chronodistichon annum, mensem & diem
emortualem complectens.

AVgVstVs SChönbVrglaCVs, heV, nobILIs heros,
OCtobrls CVM ter LVX erat, aLta fVbIt.

Abrahamus Mannus Pastor Loh-
manus ad Linæ radices.

✿ X. ✿

Qvem probitas, quem prisca fides, generosa propago,
Ornabat, nec non religionis amor:

Patria, Templas, Scholas, quem dilexere patronum,
Hei summum claudit funere in Orbe diem!

Ereptus terris conturbat corda Clientum,
Cognatos patrios, deserit atq; suos.

Siste gradum, si te forsán jactura movebit,
Si nescis, audi, quem mea Musa gemit.

AVGUSTVS natus generosa stirpe Dynastum,
Hei! SCHONBURGIACUM, sic cadit ante diem.

Hinc lacrymas, luctus, sentis hinc mine querelas,
Hinc threnos varios anxia Musa canit.

Quanam causa rogas? paucis cognoscito causas:
Defuncti Domini mens fuit equa bonis.

Aequa bonis, nec iniqua malis, succurrere pressis
Promta: capit motus mens generosa suos.

Nunc tamen ecce jacet viridanti in vere juventa
Longius annoso vivere dignus avo.

Heu heu! crudelis fati violentia, Mortis
Vis quanta est, firmum nil sinit esse diu.

Sic igitur Dominum meritò lugemus ademptum.
Sic positâ mæstus luget Apollo lyrâ.

Dat gemitus Bonitas, Pietas suspiria ducit,
Religio passus, flet fera fata comis.

B 3

Sic

Sic est: sed ceſſo pingvi cecinisse Minervã
 Pauca, eadem melius cum quoq; Muſa canat.
 Quod ſuperest, Rerum Summe ò poſſeſſor & autor,
 Te rogo conſilium, iudiciumque feras.
 Noſti etenim, noſti, cuinam, Bona morte relictã
 AVGVSTI, juſto ſint tribuenda modo.
 Ergò adſis iudex, cuncta ut diſcordia cedat
 Menteq; quò gratã quilibet accipiat.
 His bene-Summe DEVS-dicas, hos, CHRISTE, gubernes,
 Floreat ut Verbo ſubdita turba tuo.
 Da SCHÖNBVRGIA CUM ſtirps ſit generoſa Baronum,
 ARX PVLCHA, in Regno, nomine reg; tuo.
 Donec eris iudex extremo tempore Mundi,
 Inq; Arcem duces ſubdita membra poli.
 In quã nunc te cum cœleſtia gaudia carpens,
 AVGVSTVS, Sanctis morte vocatus adest.
 Manibus iſta piis AVGVSTI conſecromagni,
 Auguſtus verè eſt factus in arce poli.
 Salve, AVGVSTE: mihi, cœli novus incola, Salve,
 Æternum ſalve, perpetuumq; vale.

Debita vota dicit Ergò. F.

David Pufendorfferus, Eccleſiæ Chri-
 ſti, quæ Waldenb. colligitur,
 Diaconus.

IX

INclyte, dum viridi moreris ſub flore iuventæ,
 AVGVSTE, et iuſtum dum cadis ante diem:
 Flet Pietas, flet cana Fides, & neſcia fuci
 Flet Probitas, probitas ſemper in ore Tibi.
 Ipſe ego, præ lacrumis, breve vix ſingultio carmen,
 Vixq; fero ad tumulum hæc paucula Verba
 tuum:

Auguſtã

Augustâ iacethic Heros A V G V S T V S in urnâ
A V G V S T V S Patriæ Stella corusca Domûs.
Dignus erat seros attingere Nestoris annos;
Sed nihil egregium mors finit esse diu.

Michaelis Gegenfeind Diaconus,
Meranensis. f.

X I I.

A V G V S T V M si Roma sibi deflevit ademtum,
Aurea Q V O toto floruit Orbe quies;
Dresdaq, si luxit truculentâ morte necatum
H E N R I C H I D E N, viguit Q V O Pietatis opus;
T V quog, G L A V C H A T V M Letho jam plange peremtum
A V G V S T V M, Q V O sub vivere dulce fuit.
Q V O Schola, Q V O Templum, tua Q V O quog, Curia cœpit
Crescere, & ornata Mœnia firma suo.
Q V O pax promisit felicia tempora rerum
Leucadio perhibent quanta fuisse duce,
Eheu, quòd nulli contingit flectere Parcas,
Et quòd Mortales mors fera quosq, vorat.
Nimirum haud jus est necis evitabile; in orbe
Et nil à Lethi conditione vacat.
» Lex omnes sisti jubet ad vadimonia Fati,
» Excusat nullum fontica causa reum.
Nunc juvenis moritur, cre scens florentibus annis,
Nunc cuius vultum ruga senilis arat;
Nunc pius, ecce, cadit, servans sacra jussa Tonantis,
Nunc qui contemnit jura verenda D E I.
Si contra Lethum Pietas spectata valeret,
Essemus tuti tristibus à lachrymis,
Elicit A V G V S T V S nobis quas N O B I L I S H E R O S,
Qui S C H Ö E N B U R I A D U M lausq, nitorq, fuit;
Nam C H R I S T V M semper constanti pectore amando
Sedulius audivit dogmata sancta D E I

Cul-

Chri-
r,

Augustâ

„ Cultor Myſtarum, quos multis temnere laus eſt,
 „ Extitit, Aſtraam Pieridasq; fovens;
 Auxiliatricem dextram porrexit egenis,
 Nec fuit in toto corpore mica doli.
 O rarum exemplar pura, ſed NOBILE, mentis
 O SCHÖNBURGIACAE lucida ſtella domus;
 O ingens pietas, præclaris cognita ſignis;
 O meritâ in CHRISTVM laude vehenda fides.
 Illos Caucaſeâ genitos de rupe fatebor,
 Quos non HOC FVNUS tangat & angat atrox,
 Quod minimè potuit properatâ morte levâri,
 Sed moriens, medio ceu roſa Sole periit.
 (Quod periſſe puto, ſaltem præmittitur; aut cras,
 Aut hodiè cogent me mea Fata ſequi.)
 Sed TV mente Poli ſalve BARO CAPTE ſub aulam,
 Salve carne ſoli cui datur ade quies;
 Nuncq; vale; venies olim rediivivus in axem,
 Quâ veniet iudex CHRISTUS ab axe die.
 At citò CHRISTE veni, & fini fine ſupremo,
 Quodcunq; hoc ORBOS angit in Orbe, malum,
 Prævalidâ dextrâ miſeros nos, quaſo, tuere,
 „ Spinofis nimium vepribus implicitos,
 „ Cornua noſtra, tuum Verbum veramq; ſalutem
 „ Fortiter in nobis aſſere, junge, juva,
 „ Detenti ne perplexè, ſpinisq; cruentis,
 „ Conſilii expertes ſimus & auxili:
 „ Dum ſumus in mundo, nunc hinc, nunc pungimur illinc,
 „ Atq; aries hærens victima certa ſumus;
 Aspice nos igitur tandem, lachrymisq; ſolutos
 Eripe de cunctis, ô BONE CHRISTE, malis.

M. Matthæus Meilandus Chemnic.
 VValdenburgi in veteriori oppi-
 do jam temporis Eccleſiaſtes.

XIII.

❁ XIII. ❁

Mirabar quidnam gravis inter Glauchica luctus
 Mœnia, quid subitus vellet in vrbe dolor?
 Triste hei, nostras jam triste hei quid fertur ad aures?
 De morte exanimi turbida fama pij,
 Heros **AUGUSTVS** juvenis Generosus in aula
 Extremum nuper clausit in orbe diem.
 Talis qui populum proprium cum laude regebat
 Et patris patriæ nomine dignus erat.
 Heu surdo canimus, mors prædam captat opimam
 Et civis tristi clade gementis ovat.
 Fama tamen celebris vivit post fata superstes,
 Et cineres fursum laus vehit hymnifona.
 Vivis adhuc Generose **BARO**, tua fama perennat,
 Turba licet lugens te retinere neget.
 Posthac coelicolas inter requiesce Quirites,
 Ossibus atq; quies vita beata fiet.
 Desino, nam lacrymis haud flecti ferrea possunt
 Fata, nihil lacrymæ nil gemitusq; valent.

*Ioannes Engelman
 Obervvire Past.*

❁ XIV. ❁

Occidis ante diem quod flore, **AVGVST E**, juventa,
 Vltima **GLAVCHENSIS** flenda ruina domus;
 Nec vel nobilitas, vel avum generosa propago
 Profuit. aut forma gratia, splendor, opes:
 Non hoc, crede mihi, Natura iniuria matris,
 Dotibus innumeris qua tibi larga fuit:
 Sed vite documenta hominum, quod fluxa sit illis,
 Forma, genus, dotes ingenii, imperium.
 Si lacrymis redimi posset tibi vita, colonis,
 Arguerer, si non illa redempta foret.

C

Inclita

nic.
 oppi-
 es.
 III.

„ *Inclita mox virtus florentibus emicat annis,*
„ *Nec generosa potest mens latuisse diu.*
Templa, Scholamq;, Forum, concives, impiger HEROS
Iuvit consilio, iuvit & auxilio.
Hinc Mecœnatem crudelitabe peremptum,
Lugent Musæum, Curia, templa, forum.
Verùm sat vixit, vite quem non pudet actæ:
„ *Laudibus & famâ longa petenda dies.*
Hoc satis: hoc restat: Memor omnis vivito lethi:
„ *Nam mors excellens nil finit esse diu.*

David Mollerus Pastor
Zigelheimensis.

✻ X V. ✻

Effe quid hoc dicam, magnorum pensa virorum
Quod cita præcipiti forfice Parca secat?
Planximus heu toties Heroum fata vtrorum;
Flevimus & juvenum satq; superq; vices.
Inprimis Schonburgiacâ de stirpe creatos
Flevimus, ante diem, sam citò obiisse diem.
Et nunc Augustum, ô caput augustum! quoq. flere,
Nos favor & pietas officiosaq; iubet.
Heu nihil instabili quenquam fas fidere vitæ!
Vixit, qui vitâ perpete dignus erat.
Sed quid portendunt, (quæ non sine numine Divûm
Fiunt) Heroum funera densa virûm.
Diis odionè homines magni; an pulcherrima tantum
Quæq; beneficijs Morta proterva petit?
Neutrum horum credas. Sic fert divina voluntas,
Vtile quid tibi sit, quid mihi, ritè monens.
Nempe quod in terris prorsus durabile nil sit;
Et quod fors alio nostra reposta loco:
Nimirum in cœlis, sedes ubi IhoVa quietas,

Ac pro-

Ac promissa pijs gaudia dia, dabit.
Deinde malo morte & damno nos eximit omni,
Et facit æternâ prosperitate frui.
Deniq; pcr lethum nostram properare salutem
Sæpe D E V S, solita pro bonitate, solet.
Interea vivunt cœlesti sede recepti,
Hic quos cum luctu funerat atra dies.
Carnea pars terræ, cœlo pars enthea cedit,
A Eternam vitam, qui benè vixit, habet.
Et sic surreptus morbo cœloq; locatus
A V G V S T V S, superis vivit ovatq; plagis.
Salve magne Baro, cunctis erepte periclis,
Et novus in cœlis incola facta, V A L E.
„ Felix qui sanctè moritur vernantibus annis,
„ Queis scatet hic mundus non videt ille malis!

*M. Caspar Hæflerus Theol.
& Poëta Coronatus.*

✠ X V I. ✠
E P I T A P H I V M.

Hic jacet Augustus prelustri stemmatis Heros,
Qui Schönburgiadum gloria magna fuit.
Cuius in hoc gelido requiescunt membra sepulchro,
At semper vivunt in manibusq; Dei.
Vivunt, ex tumulo concluso vere resurgent
Quando dabit CHRISTI cœlica tuba Sonum.

E P I C E D I O N.

Ah quam miserum in rebus mortalibus ut mors
Tam seuâ rapiat Cuncta creata manu.
Mox Homo sub terras fert dulcia munera Vita,
Ante oculos rigidaæ mortis imago micat.

Quam subito Boreas decerpit culmine flores,
 Ridentes Variis gramina mille modis.
 Quam citò flos letho deflorens falce secatur,
 Et citò deperdit populus alta comas.
 Tam cito mors juvenes florentes mollibus annis
 Territat ac pariter nocte dieq̄ rapit.
 Sic rapuit juvenem illustri virtute Baronem
 Augustum à Schönburg; O Decus eximium.
 Illius & pietas clamat per viscera terræ,
 Clamat, clamabit plebis in ore sono.
 Ah Ah lugendum est, morte heu nunc esse peremtum
 Augusti corpus cum facie roseâ.
 Hic obitus Generosi ætatis flore virentis
 Ingenuis populo fletibus ora rigat.
 Sed Deus est anime spes Ultima & unica nostræ,
 Det tibi flammiferi regna beata poli.
 Suaviter in tumulto requiescis corpore lasso,
 At canitur pietas, nommen ubiq̄ tuum.

Iustus Brey Pastor Schluncensis
 olim defuncti præcep.

❧ XVII. ❧
 EPITAPHIUM,

Annum, Mensem, diem & horam nati-
 tatis, obitus & sepulture indicans.

BIs Denos Ignes Vbi MalVs Habebat Eoo,
 NataLIs sVrgens qVarta tIbl hora fVIt.
OCtöbrIs aVrora Vt ter, CLIMaCterlCVs annVs
 SeptenVs qVater, HeV, te, eXlltaXe, neCat.
 CorrVs-

CorrVsCat terrIs VbI senâ LVCe noVeMber,
AVgVstI eXVVlas apta CaVerna CapIt.
Apta Cauerna Capit tincis paulum ofsa repôsta:
Spiritus ast superi tendit ad astra DEI.

EPICEDIVM,

*In mortuum produc lachrymas. v. 16. Et fac luctum
secundum meritum eius v. 18. Eccl. Cap. 38.*

PROhdolor, ah lachrymæ, datur vnde licentia talis,
Quod nimius luctus tristia corda premat?
Ahdolor, ah mœror, lachrymæ cum luctibus auctæ
Vnde dolor subitus, mœror & unde grauis?
Ah gemitus, Iuuenis tristi modò Carmine Fata
Deflemus merito. Qualis erat iuuenis?
Ah, IUVENIS deflendus erat tam candidus: ah mens
Candida, Candoris mens quoq; plena nimis.
Aonides, coluit primâ florente iuventa:
Hinc pietate probus, dein' probitate pius.
Hinc aptè populum rexit Civemq; Colonumq;
Atq; foro, templis fauit & ipse scholis,
Nomine dic iuuenem. Ah, nomen vix dicere possum,
Vix nomen possum dicere præ lachrumis.
Attamen: AVGVSTVM à SCHÖNBVRG de stirpe BARONVM
Occidit nuper mortis auara manus.
Mortis auara manus simul inclementia mortis
Auulsit nostrum, proh, caput ante diem.
Occidit ante diem Fato, qui secula Corui,
Secula qui Cerui viuere dignus erat.
Viuere dignus erat Phænicis secula septem,
Secula Hamadryadum viuere dignus erat.
AVGVSTVS cecidit, cecidit virtutibus HEROS;
Plangere nunc ergó mœnia, rura decet.
Plangite MVLDAIDES, lugendi tempora casum
Lethiferum tibimet, subdita turba, restant.

Væ, capitis nostri cecidit generosa CORONA:
 Ex aquila cecidit PENNA citoq; perit.
Haud perit, ast præmissa volans in CAESARIS aulam
 Cœlestis fruitur semper honore suo.
Candidior candor nituit, TRABIBVSQ; BARONIS,
 Quam nituit pieras, quam nituit probitas.
O mortem inuisam, quæ nil INSIGNIA curas:
 HEROES Clypeo cum Galeaq;, teris.
AUGVSTUM licet heic prostraveris; attamen IPSE
 Vivendo quoq; te despiciendo viget.
O AVGVSTE Baro, tecum tantummodo verbum
Sufficeret, veniam da mihi, queso, loqui.
Te acceptum voluit DEVS in Baptismate magnum
 Saxonix AVGVSTI nomen habere DVCI S.
Grande tuum nomen, sed spes, heu, vana fefellit.
 AVGVSTE ô partix spes rediuiua domus.
Spes rediuiua domus cœlestis, io, placuit plus,
 Plus placuitq; polo, displicuitq; solo.
Ergo soli spes vana vale, spes altera flore:
 Immundi mundi spes modò vana vale.
O AVGVSTE Baro, tecum tantummodo verbum
Sufficeret, veniam da mihi, queso, loqui.
Teneat, heu, propriâ Noma aspera in arce BARONEM:
 Sed DEVS in REGEM TE poli in arce creat,
O, mihi, Meccœnas, tecum fuit vsus amici:
 Fidus eras aliis, fidus & ipse mihi.
Hei, Præceptor ego quondam tuus inde reduco
 Cum gemitu lahchrymas; flectere nec lachrymis.
O AVGVSTE Baro, tecum tantummodo verbum
Sufficeret, veniam da mihi, queso, loqui.

Teste

Teste IOACHIMO Comitum de gente SCHLYCORVM
 Cum te solarer, talia dicta dabas:
 Es stehet alles bey G D T (Mors & vita.) Solutus,
 Stabis, ab ærumnis, T v quoq; jam ante DEVM
 AVGVSTI augusto, ante DEVM, gratamur honori;
 Gratamur, licet heic obruimur lachrymis.
 Interea augusti Manes salvete, valete:
 Manes augusti viuite perpetuò.

Hoc ultimo studiorum officio veram & debitam
 συμπάθειαν erga olim πολυφιλιτον Discipu-
 lum generosis. in sempiternum τιμώμενον de-
 clarare voluit.

Andreas Richardus Ilfeld: cher.
Pastor in Tettau.

EPILOGVS.

F undatur Augetur Seruatur Finitur	} Cruce Christiana	}	Fama
			Cura
			Turba
			Vita

Finitur modò temporalis, inquam,
 Tandem vita perennis incoëtur.
 Expecta patiens; beatioræ
 Finem letitiæ DEVS coronat.
 Qui vincit Cruce, possidebit astra,
 AVGVSTVS, duce Michaële, vicit,
 Ergò letitiæ astra possidebit.
 Non, quamvis pius, ille possidebit.

Disting.

*Distinguens bene tempora, heus, amice,
Præsens tempus habeto pro futuro:
Nam verum est: Moriuntur, à labore,
Quicunq; in Domino, A M O D Ó quiescunt.*

1/1 2852

AFFLICTVM

CHRISTI.



RECREAT

IUSTITIA

OT
3
A
I

A

ULB Halle 3
004 954 122




f







Et dulce
 Effudit,
 Heu pie
 Flebilis
 Heu spes
 Ille perit
 Vsq; ade
 Tempest
 Et cives
 Illustren
 Occubui
 Obstupu
 Stemma
 Mente p
 Sed quid
 Hæ tibi
 Omnes e
 Vicisti m
 Semidec
 Angelic
 Quid qu
 AVGVST
 Salve ma



cipe cantus:
 sanguine natus
 m & præ nobile

onorum
 bis!

ra,
 rbum
 aci
 fata.
 nast,
 ta est,
 um,
 m

ta,
 to.
 pha.
 ripfir,

enburgensis Pastor

II. Lessus

AVGVSTVS BARODOMINVS SCHON

